

toribus allegatis, illud procedere, quando matrimonium potest consummari, et habere suum effectum, bonum videlicet prolis et remedium concupiscentiæ: Non item, si hoc haberi nequit, prout fit existente periculo impotentiae.

29. *Sive extrinseca, seu accidentalis.* — Resp. IV. Etsi impotentia sit extrinseca, seu accidentalis, ex maleficio v. g. vel mutilatione membri proveniens, tamen etiam in dubio praesumitur, eam praecessisse, consequenter matrimonium nullum esse, saltem si pars potens brevi tempore, uno vel altero mense v. g. post contractum matrimonium statim conqueritur de impotentia conjugis sui, ita doctores citati, etiam Sanchez, loc. cit., n. 6, arg. cit., c. fin. h. t., ubi erat quaestio de impotentia accidentali, ex maleficio proveniente, hoc ipso, quod, ut ibi textus habet, vir cum alia potuerit congregari. Probatur etiam ratione secunda n. praeced. adducta et concordat c. I, h. t.

30. *Dummodo pars potens de ea in tempore conqueratur.* — Dicitur autem notanter in conclusione, «saltem si potens pars brevi tempore post contractum matrimonium conqueritur de impotentia conjugis sui;» quia si de ea primum post aliquot, tres v. g. vel quatuor annos conqueri incipit, praesumitur in foro externo, eam fuisse, subsecutam; uti limitando docet Sanchez, loc. cit., n. 5 et 6. atque Gutierrez, loc. cit., arg. c. I, h. t., ut proin alleganti post tantum tempus impotentiam incumbat probatio; ad quam tamen admittitur, cum fieri possit modo infra n. 33 et seqq. dicendo.

31. *In dubio, an impotentia sit extrinseca vel intrinseca, praesumitur extrinseca.* — Porro, si dubitatur, an impotentia sit naturalis vel accidentalis, praesumitur in foro externo accidentalis, Sanchez, loc. cit., n. 7; Gutierrez, loc. cit.; Palao, loc. cit., n. 7. Ratio est; quia cum natura ordinarie producat homines ad copulam aptos; talis quivis a natura esse praesumitur, ita, ut contrarium asserenti incumbat probatio arg. I. II, c. *Qui Testament. facere poss.* et late probat Sanchez, lib. I, disp. 8, n. 17.

32. *Et ita ordinarie fit.* — Pro foro externo ordinarie praesumendum est, impotentiam etiam accidentalem praecessisse; cum enim conjuges post contractum matrimonium, copulam habere, vel saltem attentare ordinarie diu non differant, consequenter in foro interno eisdem statim constet de impotentia,

praesumi debet, eam praecessisse, etsi post multos annos in foro externo primum conqueri incipiat pars altera.

33. *Etsi conjuges certi sint de impotentia perpetua, non possunt propria auctoritate sese ab invicem separare, debent tamen a copula abstinere.* — Queritur IV. Quomodo impotentia probari possit ac debeat ad hoc, ut matrimonium jam contractum annullari queat? Et quid requiratur, antequam annulletur, seu dissolutio matrimonii fiat? Resp. I. Quamvis certe constet uni ex conjugibus, alterum esse perpetuo impotentem, non potest pars potens propria auctoritate, et absque praevia legitima probatione in foro externo faciendam, impotentem repellere, et ad alias nuptias transire. Omnes, arg. c. Porro 3. de *Divortis*, tenentur nihilominus in foro interno ambo abstinere ab omni ulteriori attentatione copulae, et tactibus lascivis; si certo cognoscunt adesse ex parte unius impotentiam perpetuam; ubi enim de hac certo constat, certum etiam est, matrimonium esse nullum, consequenter abstinendum esse ab actibus, qui non nisi veris, vel saltem dubiis conjugibus sunt liciti.

34. *Nec potest eos impotentiam fatentes iudex separare nisi prius fiat probatio.* — Resp. II. Etiam si ambo conjuges in foro externo fateantur, ex parte unius adesse impotentiam perpetuam, non potest eos iudex separare, nec matrimonium illorum annullare, nisi prius legitima a *Sacris* canonibus praescripta adhibeatur probatio. Rursus communis ac certa arg. c. 1, h. t. ubi non obstante, quod ambo fassi sint impotentiam unius, requiritur, ut id per verum iudicium probetur. Ratio est: quia alias conjuges mutuae cohabitationis pertasi facile colludere, et separationem, necnon licentiam alteri nubendi obtinere possent.

35. *Quae ordinarie fieri debet per inspectionem corporis.* — Resp. III. In praxi, ordinarie loquendo, et nisi veritas aliunde sufficienter haberi possit, ad probandam impotentiam adhiberi debet inspectio corporum, quam iudex ecclesiasticus fieri curabit in feminis, per honestas fide dignas, et in opere nuptiali expertas matronas, aut obstetrices: in viris per medicos et chirurgos, c. VI, et c. fin., h. t., juncto c. *Proposuiti*, et c. penult. de *Probat.* et ibi doctores atque Sanchez, lib. XII, disp. 118, per totum. Quod si honestae aut bonae famae non sint,

potest excipi contra illas, Sanchez, loc. cit., textu claro c. penult. de *Probat.*

36. *Ad quam in feminis requiruntur et sufficiunt honestae duae matronae.* Resp. IV. Ad inspicendum sufficiunt et requiruntur duae honestae, et in opere nuptiali expertae matronae, Sanchez, loc. cit., n. 16; Barbosa, in c. *Proposuiti de Probat.* num. 7, Alexander de Nevo in c. fin., h. t., num. 11, et alii satis communiter. Ratio est; quia de quavis causa, de qua non habetur specialis dispositio juris, procedit illa regula, «in ore duorum aut trium testium stat omne verbum,» c. *In omni. 4 de Testib. et Attestat.* atqui in praesenti materia non est specialis dispositio: ergo.

Nec obstant c. *Proposuiti 4. et Causam matrimonii. 14 de Probat.* ubi plures censentur adhibere matronae. Resp. enim, in cit. c. *Proposuiti*, fieri narrationem facti, et non dispositionem juris: c. *Causam Matrimonii* vero ideo plures adhibitas fuisse; quia erat exceptio contra aliquas, vel dic, ibi plures esse adhibitas pro majori cautela. Nec obstat L. I. § *Si omnes, vel plures ff. de Ventre inspiciendo*, ubi contra feminam dicentem, se esse praegnantem quinque requiruntur obstetrices. Nam contra est, quod ibi sit specialis dispositio juris, quae facta est, ne haeredibus praedictum generetur.

37. *In opere nuptiali expertae, sive obstetrices sint, sive non.* — Debent tamen «esse expertae in arte, et opere nuptiali,» ut cum communi recte docet Sanchez, lib. VII, disp. 109, n. 7, arg. cit., c. in fin., h. t., ibi: «a matronis bonae fidei, et expertis in opere nuptiali:» quales communiter censentur obstetrices, quae, ut pro inspiciendo corpore adhibeantur, securius et praxi conformius est; quamvis non censeantur necessariae; dummodo adsint aliae duae fide dignae, et in opere nuptiali expertae matronae; quia jura allegata plus non requirunt; nec alicubi necessario exigunt obstetrices. Et merito, eo quod aliae honestae matronae, quae proles genere, et in opere nuptiali expertae existunt, aequae ac obstetrices rem intelligunt. Accedit, quod «et manus obstetricum et oculi saepe fallantur,» ut dicitur c. penult. de *Probat.*

38. *Quae non tantum inspicere, sed etiam tangere debent muliebria.* — Caeterum sive obstetrices pro inspiciendo corpore mulieris adhibeantur, debent non solum oculis ins-

picere mulieris verenda, sed etiam manibus sufficienter et sagaciter tangere. Sanchez, lib. VII, disp. 113, num. 10; Barbosa, in c. *Causam Matrimonii de Probat.*, n. 5, arg. cit., c. penult. de *Probat.* Ratio est; quia, cum res haec sit difficillimae probationis, oportet omnem diligentiam adhibere, ne detur locus fraudibus foeminarum.

39. *Ac dein suam depositionem juramento firmare.* — Debent insuper juramento confirmare depositionem suam, alias eis non creditur, Sanchez, loc. cit., num. 13; Barbosa, in c. *Proposuiti 4. de Probat.*, n. 5; Joan. Andreas in c. *Fraternitatis*, 6. h. t., n. 5 et 23. et ibi Glossa § *Districte*, communiter recepta, arg. cit. c. *Fraternitatis*. ibi: «Districte illis injungens sub periculo animarum:» et ibidem: «Quae sub fide sua tibi asseruere:» fides enim ponitur loco juramenti, arg. c. *Ad aures. De his quae vi metusque causa.* Et ratio est; quia universaliter testes non jurati nihil probant, c. *Nuper. de Testib. et Attestat.*

40. *Pro inspiciendo viro requiruntur etiam ac sufficiunt duo medici, aut chirurgi, si haberi possunt.* — Resp. V. Si ad probandam impotentiam inspiciendus est vir per medicos, aut chirurgos, idem observandum erit, quod hactenus de matronis diximus, ita ut debeant esse fide digni, et in arte experti, numero saltem duo, atque juramento depositionem suam firmantes. Est communis per jura citata. Notat tamen recte Sanchez, lib. VII, disp. 113, n. 17; Barbosa, in c. *Proposuiti, 4. de Probat.* n. 7, et alii communiter in casu, et loco, ubi unus tantum peritus, ac fide dignus adesset, sufficere eum solum, arg. L. 1. in fin. ff. de *V. O.* quamvis Abbas in cit. c. *Proposuiti*, putet, in causa valde ardua omnino requiri duos, ita ut uno tantum existente in aliquo loco, secundus e viciniore loco accersiri debeat.

41. *Subinde etiam ad foeminae inspectionem requiruntur medici.* — Porro etsi pro inspicienda regulariter adhiberi debeant foeminae juxta dicta num. 35. tamen si quaestio est de qualitate aliqua altiori, foeminae notitiam superante, v. g. an mulier arcta per incisionem absque vitae periculo apta possit reddi ad copulam perfectam, medici, et chirurgi adhiberi debent, Sanchez, cit. lib. VII, disp. 113, num. 21, ubi plura ad hoc refert exempla, et probatur c. *Ex litteris*, h. t. et c. *Fraternitatis*, eod. ubi de ope medicorum, ac incisione fit mentio,



quæ certe non nisi inspectione per illos faciendâ fieri potest.

42. *Si per inspectionem manifeste apparet adesse impotentiam perpetuam, illico sine alia probatione annullatur matrimonium.* — Resp. VI. Si habita inspectione corporum appareant signa certa impotentiae; quia v. g. apparet virum carere utroque testiculo, et habere abscissa virilia; aut foeminam esse ita arctam, ut absque vitæ periculo incidi non possit, matrimonium illico annullandum, nec ullum tempus ad probandum concedendum est; nec requiritur juramentum propinquorum, nec conjugum, quod se invicem nunquam carnaliter cognoverint. Abbas in *c. Fraternalitatis*. 6. h. t., num. 11. Sanchez, lib. VII, disp. 107, n. 7. eoque teste omnes. Ratio est; quia quando evidenter constat de impotentia, evidens etiam est, matrimonium esse nullum, consequenter putativos conjuges separandos esse ab omni commercio carnali. Nec desideratur juramentum conjugum aut propinquorum, utpote superfluum in casu, in quo per depositionem juratam peritorum res manifesta est. Possunt tamen cohabitare ut frater et soror, per dicenda infra num. 6.

43. *Si non physice, moraliter tamen certum est adesse impotentiam, declaratur matrimonium nullum accedente juramento conjugum et propinquorum.* — Resp. VII. Quando per inspectionem, vel aliam probationem signa physice certa, et evidentiâ impotentiae non apparent, bene tamen vero similia, et quasi moraliter certa, potest et debet annullari matrimonium, non expectato triennio experientiae, si uterque conjux juret, se copulam attentasse quidem, sed nunquam coire potuisse, idque jurato affirmant septem ex propinquis, deponendo juramentum de credulitate, jurando se credere, conjuges verum jurasse (juxta dicenda infra num. 46.) Sanchez, lib. VII, disp. 107, num. 4; Alexander de Nevo, in *c. Laudabilem*, 5, h. t., num. 17, et ibi Butrius, n. 14; Engel, h. t., n. 6, arg. *c. Laudabilem* 5, h. t. ubi triennalis probatio de habenda copula tunc tantum conceditur, ac praescribitur, quando aliunde probari non potest impotentia perpetua: ergo a sensu contrario illa triennalis probatio locum non habet, si aliunde probari potest impotentia, uti res se habet in sensu conclusionis, utpote in quo, licet non nabeatur physice certa, tamen habetur saltem verosimilis probatio dictae impotentiae,

quæ probatio accedente juramento conjugum, et propinquorum utique sufficiens erit.

44. *Si non nisi dubia signa impotentiae apparent, debent per triennium tentare copulam.* — Resp. VIII. Si post inspectionem, signa non nisi dubia apparent de impotentia perpetua, prout plerumque fit in frigidis, et maleficiatis, conceditur eis triennium ad tentandum, an copulam carnalem perfectam habere valeant juxta dicta numer. 27. quo elapso matrimonium annullari potest; si ambo jurent, se nunquam adhuc perfecte coire potuisse, idque septem propinqui juramento credulitatis affirmant, textu claro *c. fin. h. t. ibi*: « Quocirca mandamus, quatenus si ita est, et constiterit vobis, praefatum virum et mulierem intra praedictos octo annos per continuum triennium in simul habitasse, ipsis cum septima propinquorum manu firmantibus juramento, se commiseri carnaliter nequivisse, proferatis divortii sententiam inter ipsos. » Concordat *c. Laudabilem* 5, eod.

45. *Vel etiam per plures annos, si conjuges adhuc valde juvenes sint. Pubertas plena, quid?* — Quod, si tamen foemina duodecim, vir vero decimum quartum annum primum essent egressi, tentatio copulae eis conceditur usque ad pubertatem plenam ac perfectam, quam mulier acquirit completo anno decimo quarto l. *Mela*. 14. ff. *de alimentis*: vir autem completo anno decimo octavo, l. *Arrogato*. 47. § 1. ff. *de Adopt. et § Minorem*. 4. *Instit. eod.* Sanchez, lib. VII, disp. 108, n. 4; Joan. Andreas in *c. Laudabilem*. 5, h. t., nu. 3; Pirhing, h. t. nu. 20. Ratio est; quia dubium adhuc manet, an non coeundi impotentia ex defectu aetatis et naturae imbecillitate proveniat.

46. *Quot propinqui, vel alii testes jurare debeant in casu dubio.* — Caeterum per septimam manum propinquorum indicantur septem consanguinei, ex parte cujuslibet conjugis, ita ut quatuordecim adesse debeant, Sanchez, lib. VII, disp. 105, num. 11. Innocentius in *c. Laudabilem*. h. t., in prin., et ibi Alexander de Nevo, n. 6. Quod, si tot haberi nequeant consanguinei, assumi debeant tot vicini bonae famae, arg. *c. Laudabilem*. 5, h. t. ibi: « Cum septima manu propinquorum vel vicinorum bonae famae (si propinqui deficerent). »

47. Si autem tot testes commode haberi nequeant, sufficiunt pauciores arbitrio judi-

cis, etiam duo, Sanchez, loc. cit., n. 12; Barbosa, in *c. Laudabilem*. h. t., num. 10, et Glossa communiter recepta, in can. *Requisivisti* 2. cau. 33, q. 1, § *Septima manu*. arg. can. *Presbyter*, cau. 2. q. 5. qui testes juramentum deponunt credulitatis, videlicet credere se, conjuges vere jurare, ipsi vero conjuges id deponunt de conscientia et veritate.

48. *Si elapso triennio mulier potens affirmet, habitam esse copulam, vir autem dubie impotens id neget, creditur mulieri.* — Resp. IX. Si elapso triennio vir dubie impotens neget copula perfecta matrimonium esse consummatam, mulier vero id affirmet, et certa impotentiae signa non appareant, sed tantum ambigua, credendum est uxori affirmanti, et pro valore matrimonii pronuntiandum, Sanchez, lib. VII, disp. 109, n. 9; Joan. Andreas, in cit., c. h. t., et ibi Anchoranus num. 4. alique communiter. Ratio est: Tum quia in pari causa potior est conditio possidentis juxta *Reg. 65, jur.* in 6. Tum quia non est verosimile, quod foemina velit cohabitare viro, qui debitum ei reddere nequeat. Tum quia id exigit favor matrimonii, arg. *c. fin. de Sent. et re judicat.*

49. *Et e contra si negat mulier, et affirmat vir, creditur viro.* — Resp. X. Pariformiter si elapso triennio mulier copulam habitam neget, et vir dubie impotens affirmet, huic creditur, si impotentia per signa certa non appareat, sed dubia maneat, Sanchez, lib. VII, disp. 109, num. 2; Pirhing, h. t., num. 14; Engel, h. t., num. 6. et alii arg. can. *Si quis*, cau. 33. q. 1. ibi: « Si quis accepit uxorem, et habuit eam aliquo tempore, et ipsa foemina dicit, quod nunquam coisset cum eo: et ille vir dicit, quod sic fecit, in veritate viri consistit. » Ratio subjungitur: « Quia vir est caput mulieris. » Idem ob eandem rationem dicitur *c. I*, h. t., ubi etiam alia ratio in praesumptione fundata additur, videlicet, quod non statim post primum aut secundum mensem reclamaverit, cum eo tempore impotentiam viri, si quae fuisset, illico agnoscere potuisset: ibi: « Quia si proclamare voluit, cur tandiu tacuit? cito enim, et in parvo tempore scire potuit si secum coire potuisset. » Accedunt rationes conclus. praeced. allegatae.

50. *Nisi mulier per evidentiâ signa velit contrarium probare.* — Dicitur autem notanter in conclusione, « si certa signa impotentiae non apparent: » hæc enim si habentur,

vel ad ea probanda se offert mulier, audiri, et si probat, eidem credi debet, quantumvis vir jurato contrarium affirmet, Sanchez, loc. cit., num. 5; Innocentius, in *c. i*, h. t., et ibi Anchoranus, num. 11. et alii communiter. Tale signum evidens est, si mulier per inspectionem corporalem adhuc incorrupta apparet virgo, textu claro *c. Proposuvisti 4 de Probation.* ubi non obstante, quod vir jurato affirmavit, se copulam perfectam habuisse cum muliere, jubetur fides adhiberi mulieri contrarium asserenti, ex eo, quia per inspectionem mulierum reperta fuit adhuc integra virgo.

51. Illud etiam notandum, quod, si una parte negante, altera pars conjugum affirmet impotentiam perpetuam, et res probari etiam debeat cum juramento credulitatis propinquorum, non requirantur quatuordecim, seu ex qualibet parte septem, sed sufficiant septem ex parte affirmantis. Sanchez, lib. VII, disp. 109, n. 12, arg. cit., *c. Proposuvisti 4. de Probation.*

52. *Si per physice vel moraliter certa signa apparet impotentia perpetua, potest contra matrimonium quovis tempore proclamari.* — Quæritur V. An quovis tempore conjux reclamare et pro annullatione matrimonii instare possit ex causa impotentiae? Resp. I. Si ambo putativi conjuges fateantur, se ex causa impotentiae copulam perfectam habere non posse, quovis tempore, etiam post multos cohabitationis annos reclamare possunt, et matrimonium eorum annullari debet, si impotentiam modo per canones praescripto probent. Communis ac certa arg. *c. i*, et *fin. h. t.* ubi, licet sero mulier proclamaverit, tamen quia impotentiam fatebatur etiam vir, probatione legitima adhibita separatio fuit demandata.

53. Resp. II. Si unus conjux neget, alter vero affirmet impotentiam coeundi, et negans conjux paratus sit, probare suum assertum per signa evidentiâ, tunc iste quovis tempore auditur, et probans impotentiam separatur, Sanchez, lib. VII, disp. 109, n. 5, et n. 14; Abbas, in *c. fin. h. t.*, n. 2. dicens hanc et praecedentem conclusionem esse indubitata, Palao, disp. 4, punc. 14, § 8, n. 2 et alii communiter; arg. *c. Fraternalitatis* 6 et *c. fin.*, h. t. Ratio est: quia matrimonium tale certo est nullum, non obstante quacunque longa cohabitatione, cum « non firmetur tractu temporis, quod ab initio non subsistit, » *c. Non firmatur. de*